





*DISSE*  
*RAT*  
*TATI*  
*O JURIDICA*  
De  
**TRANSACTIONIBUS,**

*Quam*  
**DIVINA ASPIRANTE GRATIA,**

PRAESIDENTE

*Amplissimo ac Consultissimo Viro,*  
**DN. GEORGIO DAVIDE LOCAMERO,**  
J. U. D. ET IN INCLYTA AC FLORENTIS-  
SIMA ARGENTORATENSIMUM ACADEMIA  
Pandectarum Professore celeberrimo, Preceptore  
& Fautores suo perpetua animi venera-  
tione dignissimo:

*Placide disquisitioni publicè subjicit*

*In Auditorio majori:*

*Ad diem Septembris.*

**JOHANNES CHRISTIANUS Wurstschmidt,**  
ALLENDO RPHE N SIS AD SALINAS  
Hessiacas.



*ARGENTORATI,*

*Typis Heredum PAULI LEDERTZ.*

---

*M. DC. XXXI.*





X  
16.  
IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU  
CHRISTI AD OMNIA CONSILIA OMNES-  
QUE ACTUS FELICITER PROGREDEMUR,  
L. 2. Cod. de offic. Præfect. Præt. Afric.

25.  
S  
THEISIS I.



Um semper ante judicii cujuslibet ingressum, prius CAPVT I.  
quam ad odia, & hinc, ut plerunq; sit, ad arma eatur, De nomi-  
transactio sive amicabilis compositio inter partes li- ne, defini-  
tigantes pertentanda sit: Auth. si vero contigerit. C. de visione  
judic. cap. fin. ext. de transact. Idcirkò de nobilissima hac transactio-  
transactionum materia, & theorico & practico studio maximope- nis.  
rè inserviente, discursum & amicabilem ventilationem institutu-  
rus, præscripto Jureconsulti Vlpiani in priuc. l. 1. ff. de just. & jur.  
insistens, rectè à nominis notatione dissertationis hujus telam  
exordiar.

2. Transactio igitur compositum vocabulum est à Trans  
& Actio, sicut verbum transigere à Trans & agere; quod in genera-  
li significatione acceptum, nihil aliud est, quam negotium confice-  
re, expedire, finire, facere ut amplius non sit negotium. arg. l. 1. §.  
conventionis. 3. ff. de pact. Et hinc, si modò à verbo ad verbale conclu-  
ditur, generalis transactionis significatio etiam probari potest ex l.  
transacta. 229. ff. de verb. signif. ubi particula VE non tāmdisjunctè  
quam explicativè sumitur. Deinde etsi disjunctivam significatio-  
nem haberet in l. 230 eod. tit. frustraneum fuerit verbum, transacta,  
& quo ad verbum, finita, quod generalissimum, nulla ratio dubi-  
tandi: quæ aliâs hæc est, quod transactio de controversis conventi-  
one partium decisio accipi soleat; quam quasi removens JCtus si-  
gnificare videtur, in clausula ista, decretis edictis vel SCtis adjecta,  
ut in l. 1. §. fin. ff. ad SCtum Tertull. verbum illud latius & generalius  
usurpari. Bachov. in not. ad Treutl. disp. 7. thes. 1. lit. a. Wesembec. in pa-  
rat. ff. de transact. Donell. in rubric. C. cod. Duaren. cap. 1. nnm. 2. hoc tit.

A 2 3. Et di-

3. Et dicitur transactio quasi actionis transitio , vulgo Accordum. Ab actione enim plerunq; actor ob dubium litis even-  
tum, contentionis odium, gravitatem sumptuum, aliaq; incommo-  
da transit & discedit, qui transactionem facit, juxta illud:

*Vtilior certè est transactio macra Clienti,  
Quàm crassa & pinguis juris sententia lata.*

4. Dupliciter autem transactionis nomen, cùm in jure tūm apud probatos Latinos authores accipitur; latè & strictè. Priori modo pro cuiusq; negotii definitione, compositione seu quolibet actu, quo ab obligatione receditur. *l. transacta. 229. de V.S.* Et ita ex-  
tenditur ad pactum *l. tres fratres 35. in fin. ff. de pact.* *Myns. decad. 6. respons. jur. 60. n. 15. jusjurandum l. 2. ff. de jurejur.* & rem judicatam *l. 1. ubi Iason. ff. de pact. d. l. 229. de verb. signif.* *Bart. Sichard. in rubric. C. de transact.* *Æmil. Ferret. in l. 1. num. 1. ff. eod.*

5. Posteriori modo & quidem strictè capitur, pro ea con-  
ventione, qua res dubia, litigiosa & incerta, necdum finita partium  
consensu componitur *l. 1. ff. de transact.* quo in significatu transactio  
à pactis, rebus judicatis & jurejurando finitis differt *d. l. 1. ff. hoc tit.*  
*Wesembec. in parat. ff. de transact. n. 2.*

6. Explicationem nominis sequitur ipsius rei definitio *l. 1. ff. de just. & jur. l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de furt.* Transactio autem in poste-  
riori hac significatione non incommodè definiri potest, quod sit  
rei dubiæ vel litis incertæ neq; finitæ, aliquo dato, retento vel pro-  
missio, conventa decisio. *Wesembec. in parat. d. loc. Bachov. in not. ad*  
*Treut. diss. 7. thes. 1. lit. d.*

7. Dico esse rei dubiæ & incertæ decisionem: Hic & finis,  
& effect⁹ transactionis, ut litem finiat & terminet, ideoq; frequen-  
ter in jure transactio decisio appellatur *l. post decisionem 13. C. de furt.*  
*l. si quidem 24. C. de transact.* Et hinc resultat differentia inter pactum  
& transactionem, quoniam plerunq; qui paciscitur, rem certam &  
indubitatam sua liberalitate remittit, cum is, qui transigit, rem  
dubiam & incertam litem sospire facit *l. 1. ff. de transact.* Cujac. in pa-  
rat. C. eod.

8. Definitur porrò, aliquo dato, retento vel promisso.  
Transactio enim nullo dato, retento vel promisso minime proce-  
dit *l. 38. C. hoc tit.* siquidem transactione neq; totum, neq; nihil  
aufertur,

*aufertur, sed utrinq; aliquid vitandæ litis causa remittitur d. l. post  
decisionem 13. C. de furt. l. interest 21. C. de solut.*

9. Postremò subjicitur in definitione conventa decisio, ut  
videlicet per verbum, *conventa*, distinguatur à decisione judiciali,  
quæ citra conventionem in invitòs fertur, & negotium decidit. *l. in-  
ter stipulantem. 83. §. 1. ff. de verb. obligat.* Et ita sane est, quod sit ipsa  
rei controversæ decisio; modi autem transigendi pactum & contra-  
ctus *l. 2. ff. hoc tit.* & hic sive nominatus, sive innominatus; ut enim  
causa ab effectu, vel hoc, quod ex aliquo fit, omnino est distinguen-  
dum; sic transactio, pactum, & contractus non sunt confundenda,  
*Bachov. prox. alleg. loc.*

10. Cognito transactionis tūm notatione, tūm etiam defi-  
nitione, ejusq; explicatione, dispiciendum nunc de divisione: Et  
primò facilitioris intelligentiæ gratiâ dividi potest in generalem, *l.  
sub pretextu ubi Gloss. C. de transact. & specialem, l. age cum Geminia-  
no, 3. l. si de certa, 31. C. eod. tit. Wesembec. in parat. ff. hic. n. 3.*

11. Generalis transactio dicitur, quæ sapit controversiam  
juris universi, ut si sit de hereditate, quæ ad omnes partes & causas  
ejus juris diffunditur, ut in cap. *sicut grave, ext. de transact. d. l. sub  
prætextu 29. C. eod. cum similib. Petr. Gregor. Tholosan. 3. Syntag. jur.  
c. 2. de transact.*

12. Specialis transactio est, quæ de aliqua re certa, contro-  
versia seu lite fit, & ideò nunquam ad alia, quæ ad expressa porri-  
gitur, *l. age cum Geminiano, 3. l. si de certa 31. & l. penult. C. de trans-  
act. Petr. Gregor. Tholosan. d. loc. Dan. Venat. in anal. jur. Pontif.  
cod. tit.*

13. Hujus autem species regulariter ponuntur duæ: nem-  
pe simplex, & illa quæ Aquiliana stipulatione munita est. *l. 3. cum  
l. seq. C. de transact. Wesembec. in parat. ff. eod.* Hæc omnes omnino  
præcedentes obligationes novat & perimit, ipsaq; per acceptila-  
tionem perimitur *l. Aquiliana stipulatio 4. l. 18. ff. de accept. l. 3. C. eod.  
Treut. vol. 1. disp. 7. thes. 2. lit. a. Schneidvv. ad §. item per acceptilati-  
onem, 2. Inst. quib. mod. toll. obligat.*

14. Erit & quædam transactio realis, quæ transit ad suc-  
cessores rei, super qua transactum est: alia personalis, quæ cum  
transigente vivit & extinguitur, ut sunt exempla in c. de catere. 5. &

A 3 cap. 76-

c. veniens. 3. ext. de transact. 3. ext. de transact. Quibus additur jurata  
& injurata l. si quis major 41. cum l. seq. C. eod. tit. Wesembec. in parat.  
ff. de transact. n. 3. Et tantum de divisione.

CAP. II.

De his qui  
transigere  
possunt vel  
non.

15. Cum constet, quid & quotplex sit transactio, sequitur  
nunc dicendum de illis, qui transigere possunt vel non: Omnibus  
autem permissa est transactio, qui non naturâ vel lege prohiben-  
tur, arg. l. 12. in princ. ff. de pact. Naturâ prohibentur transigere illi,  
qui ob animi vitium consentire nequeunt: siquidem & transactio  
in se conventionem & consensum habet l. 1. §. 3. ff. de pact. Tales ve-  
rò sunt furiosi & amentes l. sanum 27. C. de transact. l. 40. ff. de Reg. jur.  
Schneidvv. ad §. furiosus 8. Inst. de util. stipulat. Philipp. Matthaei ad  
d. l. 40. n. 1. & 2. de R. I. itemque infantes l. 5. ff. eod. tit. quoniam non  
multum à furioso distant, ob id, quod nullum intellectum habent,  
§. pupillus 9. circ. med. inst. de util. stipulat. l. coram Titio 209. ff.  
de V. S.

16. Lege prohibentur transigere omnes, quibus legitima  
bonorum administratio adempta: Transactio enim est species que-  
dam administrationis & alienationis arg. l. 4. C. de præd. minor. Ex  
horum numero sunt prodigi, quibus bonis à lege interdictum est l. 1.  
ff. de Curat. furios. & aliis. Pupilli qui sine tutoris autoritate nec vel-  
le, nec nolle possunt l. 189. de Reg. jur. & hoc propter facilitatem pu-  
pillaris ætatis & consilii inopiam introductum, cum fragile & in-  
firmum esse hujusmodi ætatis consilium, multisq; obnoxium ca-  
ptionibus constet l. 1. ff. de minor. l. pupillus 9. ff. de acquir. vel amitt.  
heredit. l. contra juris. 28. in princ. ff. de pact.

17. Minores tamen proculdubio transigete possunt l. pu-  
pilli §. 1. ff. de solut. sic ut nec facilè restituantur, l. 11. C. hoc tit. Quod  
igitur justa & legitima ætas requiritur in transigendo, id eo perti-  
net, ne ob ætatem ullo modo rescindatur transactio l. actione 4.  
cum l. seq. l. si major 20. l. si profundo 33. C. eod. tit. sine decreto tamen  
res immobiles ex transactionis causa alienare non possunt, l. non  
solum 4. C. de præd. & al. reb. minor. Dn. Mejer. in Collegio Iuridico Ar-  
gentoratensi de transact. thes. 6.

18. De procuratore, an is nomine domini transigere possit  
arguta & subtilis est questio? Quæ res erit distinctione expedi-  
da. Procurator enim ad agendum solummodo constitutus, sine  
speciali

24  
16.  
25.

speciali mandato transigere non potest, cap. qui ad agendum, de procurat. in 6. l. jusjurandum, 17. §. fin. l. 34. §. i. ff. de jurejur. quoniam agendi, non etiam decidendi potestas illi concessa est l. transactionis. 7. C. hoc tit. l. sed si. 13. in princ. ff. de pact. cum contraria sint ageare & transigere: Nam is qui agit, litem movet: Qui transigit, finit, atq; à lite desistit, & oppositum ejus quod ei mandatum est facit. Procuratori autem fines mandati transgredi neutiquam permisum, l. 12. C. mandati. l. diligenter. s. l. potest. 41. l. si quis. 46. ff. cod. tit. usq; adeò, ut procurator extra fines mandati procurator minimè existimandus sit, l. i. ff. de procurat.

19. Idem obtinet in procuratore universorum bonorum, quod nec is citra speciale mandatum transigere valeat. Transaction enim est species alienationis, l. non solum, 4. C. de præd. minor. non alien. procurator verò sine speciale & expresso Domini jussu bona, quorum administrationem habet, alienare nequit, l. mandato 60. l. procurator, 63. ff. de procurat. Bocer. Class. 2. disp. 20. thes. 5. Gilken. in l. transactionis, 7. n. 10. & seq. C. de transact. Anton. Fab. in Ration. ad. l. procurator 58. & d. l. mandato 60. ff. de procurat. Pacius cent. 2. quest. 47.

20. Sed hoc ita procedit, nisi procurator universorum bonorum, cum libera sit constitutus; hoc est data ei sit libera administrandi potestas: Hunc enim transigere posse, et si speciale Domini mandatum non habeat, indubium videtur. Etenim cum huic rem certam & liquidam alienare concedatur, etiam de re incerta & litigiosa transigere poterit d. l. procurator 58 ff. de procurat. l. qua ratione. 9. §. nihil 4. ff. de acquir. rer. domin. l. mandato 60. §. Lucius 4. ff. mandati 5. Nihil inst. de Rer. Divis. Hotoman. Alciat. n. 25. & Gilken. in l. 7. C. de transact. Duaren. hic c. 1. Cujac. in §. 41. Inst. de R. D. Pacius lib. 2. Method. tit. 4. c. 4.

21. Atq; hoc multò magis de eo procuratore statuendum, qui in rem suam datus est: Hic enim, si effectum & commodum exercendarum actionum spectem, rem suam agit, non alienam, ut cui sic mandatae sint actiones, quò in rem suam eas exerceat, & earum commodum & incommodum ad eum pertineat l. qui stipendia 9. C. de procurat. Quapropter ei, uti Domino ipsi integrum erit transigere l. sed si. 13. §. i. ff. de pact.

22. Procu.

22. Procuratori Principis sine speciali permisso ac consensu Principis transigere non licet l. nulli 13. ff. de transact. Procurator enim Cæsar's liberam rerum administrationem adeoq; alienandi potestatem non habet l. i. §. 1. ff. de offic. procurat. Cæsar. Nam simplici bonorum administratione non continentur ea, quæ speciale desiderant mandatum, qualia sunt transactio, juramentum & alienatio bonorum l. mandato 60. l. procurator 63. ff. de procurat. Sichard. ad l. 7. C. de transact.

23. Cæterum administratores & Syndici universitatum vel civitatum, Consules similesq; magistratus, mandatum cum libera habere censemur, adeoq; omnia expedire, quæ aliâs mandatum requirunt speciale, & per consequens transigere possunt l. præses 12. C. de transact. Et quidem cum effectu, sic ut iis, quorum res administrant, præjudicent l. item magistri 14. ff. de pact. Bald. Donell. Alciat. in d. l. præses C. hic Pacius lib. 2. Method. tit. 4. c. 4. in fine. Gail. observat. 72. n. 11. 12. & 13. Costal. in d. l. 14. ff. de pact.

24. Transigendo vero donare vel jus liquidum ambitiosè remittere hujusmodi administratores vetantur d. l. præses 12. C. hoc t. quia donare est species dilapidationis, sed administratores Rem pub. conservare, non res Civitatis perdere debent, Bart. & Fulgos. in d. l. 12. C. de transact. id enim omnibus denegatur, quibus administratio tantum est permissa l. filius fam. 7. ff. de donat. Donell. in l. pactum 22. C. de pact. Gail. d. observat. 72. n. 12. & 13. Wiesembec. in parat. ff. de transact. n. 4. in fin.

25. Tutores & Curatores super rebus mobilibus, dubiis & litigiosis pupillorum aut minorum, nullo etiam interposito Magistratus decreto, transigere omnino possunt, l. si pignore 54. §. fin. l. interdum 56. § qui tutelam 4. ff. de furt. Dn. Mejer in Colleg. Argentorat. de transact. thes. 8. Nam tutores in rebus pupilli & Curatores in rebus adulorum, quantum ad providentiam, dominorum loco habentur l. tutor. 27 ff. de administ. tutor. l. qui fundem 7. §. si tutor 3. ff. pro emptore Donell. lib. 3. Comment. 12. in fin.

26. Verum de rebus minoris vel pupilli immobilibus, tutores & Curatores sine judicis decreto transigere nequeunt, l. non solum 4. C. de præd. minor. non alien. Nam transactio est species alienationis, l. i. §. 1. ff. de offic. procurat. Cæs. Alienatio autem rerum pupillarium

larium sine prætoris decreto interdicta, l. tutor ad utilitatem, 22. ff.  
de admist. tut. l. 22. C. eod. Gail. 2. observat. 72. Schneidvv. ad §. fin.  
inst. de authorit. tut. Bronch. cent. i. assert. 48.

27. Prælati & Antistites Ecclesiarum, de rebus Ecclesiæ in  
eius præjudicium, absq; consensu capituli vel superioris transige-  
re non possunt. c. contingit 3. & c. 4. ext. de transact. Petr. Gregor. Tho-  
losan. 3. Syntag. 19. c. 4. Panormit. d. cap. 3. hic. Costal. in l. 14. ff. de pact.  
Affine enim est Simoniæ pretium pro jure spirituali dare vel acci-  
pere c. super eo. 7. de transact. Compositiones tamen amicabiles, &  
permutationes earundem rerum non repudiantur d. c. super eo 7.  
eod. tit. e. ad questiones de rer. permut. Wesembec. in parat. ff. de transact.  
n. 5. in fin. Dan. Venat. in anal. jur. Pontif. eod. tit.

28. Transactio item patris de bonis Castrensis peculii, sicut  
& de illis bonis adventitiis, quæ plena proprietate ad filium spectant,  
absq; filii assensu non valet, nec quicquam filio præjudicat l. ex ca-  
strensi 18. §. 2. ff. de castrensi pecul. Quoniam quoad hæc bona filius-  
fam. ex Constitutionibus Imperatorum pro patrefamilias habet  
l. 2. ff. ad SCtum. Maced. illorumq; plenam & libetrimam habet ad-  
ministrationem l. pater. 15. §. 4. ff. de castrensi pecul. Novell. 117. c. 1.

29. Quoad cætera verò bona, interest, utrum liberi in po-  
testate sint patris; an verò non: ut hoc quidem posteriori casu pa-  
ter de rebus illorum transigens nihil agat, nec ullum præjudicium  
liberis generet l. de re filiorum 10. ff. hoc tit. cum emancipati extra-  
neis annumerentur §. 3. Inst. de exheredat. liberor. §. 3. Inst. de hered.  
qualit. & differ. l. 55. in fin. ff. de ritu nupt. Hinc quoq; est, quod trans-  
actio matris filio non noceat l. 26. C. de transact. quia mater liberos  
in potestate non habet l. 5. C. de adopt. §. 10. Inst. eod. At priori casu,  
necessaria tamen & justa ex causa, etiam absq; filii consensu, vim  
ac robur habeat transactio, sic ut pater filio proficit & noceat Bor-  
cholt. de transact. cap. 4. num. 9. & 10. Gail. 2. observat. 72. num. 14.  
& seq.

30. Pari modo de dote, filiæ nomine petenda, pater non  
aliter potest transigere, quam filia permittente & consentiente,  
cum dos sit proprium filiæ patrimonium l. 3. §. ergo etiam 5. ff. de mi-  
nor. vide l. 2. §. 1. ff. soluto matrim. Si verò filia sit furiosa, ut conser-  
tire, suumq; assensum patri accommodare nequeat, benigna juris

B interpre-

interpretatione, pro consentiente habebitur, quoniam aliâs ipsi  
commode consuli non posset; ipsa enim filia de dote agere non  
posset, nec per se, nec per procuratorem, adeoq; dote sua carere  
cogeretur, nisi consentire fingeretur patri, d. l.2. §. voluntatem 2. ff.  
solut. matrim.

31. Quæri hic potest, an pater possit filio invito injuriam  
illatam in præjudicium filii transactione remittere? Et patrem utri-  
usq; nomine remittere posse text. est in l. sed si unius. 17. §. plane. 12. ff.  
de injur. quoniam non sine causa hoc facere præsumitur, cum in-  
juria plus spectet ad patrem, quam ad filium l. 8. §. fin. junct. Gloss. ff.  
quod met. caus. nisi tamen honestior sit persona filii quam patris.  
Sordidus enim pater non debet generoso filio, quandam degene-  
ris humilisq; animi notam inurere facili remissione injuriatum d.  
l. sed si unius 17. §. interdum 13. ff. de injur. Schneidvv. ad §. 2. Inst. de in-  
jur. n. 8.

32. Cæterum vasallus de feudo etiam absq; consensu Do-  
mini transigere non prohibetur c. unic. de controv. inter vasall. & al.  
de benef. c. unic. §. si vasallus de beneficio. Si de feud. defunct. content.  
dummodò sine fraude & collusione id fiat, & prædium feudale,  
quod vasallus possidet, in alium non transferatur d. c. unic. de con-  
trov. inter vasall. cap. Imperiale de prohit. feud. alien. per Frideric.  
Schenck. Baro in d.c.unic. §. si vasall. de benefic. & tit. 43. lib. 2. feud. Dn.  
Vultej. de feud. lib. 1. c. 10. num. 89. Longè enim consultius est super re  
dubia ac lite incerta, aliquo accepto transigere, si alia ratione feu-  
dum servari non posse prævideat, quam temerè litigando incertum  
litis eventum subire, ubi fieri possit, ut litem amittat: Nec rem per-  
didisse aut deteriorâsse dici potest, propter dubium litis exitum.

CAP. III.  
De rebus  
super qui-  
bus transi-  
gi potest  
vel non.

33. Videamus nunc, de quibus rebus licita vel illicita sit  
transactio. Et principiò quidem hoc commune habet transactio-  
cum pactis cæterisq; contractibus universis, quod fieri non possit,  
gentium 7. §. si pacifcar. 14. ff. de pact. quæq; in hominum sunt com-  
mercio, l. inter stipulantem. 83. §. sacram. 5. ff. de Verb. Oblig. proprium  
verò ejus objectum est res dubia, lis incerta & ambigua, l. 1. ff. hoc tit.  
Borcholt. de transact. cap. 3. num. 1. Wesembec. in parat. hic n. 5.

34. Res porrò de qua transigitur, dubia esse debet, vel  
propter

propter litem præsentem & jam motam l. cum mota, 6. l. cum propos-  
nas, 17. C. hoc tit. vel propter litem imminentem metumq; futuræ  
litis l. 2. C. eod. vel ob aliam aliquam causam, qua res aliqua incerta  
ac dubia redditur. At de rebus certis, putà de re judicata vel per  
jurisjurandi delationem decisa transigi non potest l. si causa cognita.  
32. C. hoc tit. l. eleganter. 23. §. & post i. ff. de condic. indeb. Quia  
post sententiam à judece latam res non amplius dubia est, ne clis in-  
certa, cùm sententiâ judicis, finem controversia accipiat, l. i. ff. de  
re judicat. Quæ autem per sententiam finita sunt, restaurari, & rur-  
sus in controversiam revocari non possunt, ne nullus litium exi-  
tus reperiatur, l. 2. C. de re judicat. Donell. in rubric. C. de transact.

35. Cæterum ita demum de re judicata inutilis est transa-  
ctio, si sententia per appellationem non fuerit suspensa l. & post 7.  
in princ. ff. de transact. d. l. eleganter 23. §. i. ff. de condic. indeb. Quan-  
doquidem per appellationem, res judicata iterum in dubium &  
incertum revocatur, eoq; res judicata deducitur, ut nec judicatum  
esse videatur sententia per appellationem extincta l. i. §. fin. ff. ad  
SCtum Turpill. Borcholt. de transact. c. 3. num. 10. Donell. in d. l. si causa  
cognita 32. C. hoc tit. Duaren. hic c. 2. n. 5.

36. Quin etiamsi à sententia provocatum non sit, modò  
provocari possit, transactio locum habet d. l. 7. ff. hoc tit. Potest au-  
tem provocari intra decendum Novell. 23. de appellat. quod à tem-  
pore scientiæ currit, Myns. 2. observat. 2. Et sicuti transactio appel-  
latione facta valet, ita quoq; valet facta intra decendum, quo ap-  
pellari potuit. Hoc enim tempus à jure ad appellandum constitu-  
tum, idem operatur quod ipsa appellatio, ut eleganter & pro-  
lixè tradidit Aut. Corset. singul. 7. Borch. de transact. c. 3. num. 11.

37. Amplius etsi post rem judicatam appellatio non sit in-  
terposita, sed tamen negetur judicatum esse, vel ignorari possit, an  
judicatum sit, transactio procedet, quia adhuc lis subesse possit l.  
post rem judicatam. 11. ff. hoc tit. Similiter si incertum sit, an sententia  
valeat, magis est, ut transactio vires habeat l. eleganter 23. §. i. vers.  
quid ergo. ff. de condic. indebit. l. si causa cognita 32. C. de transact.  
juncta l. 7. C. de sentent. & interlocut. Donell. in d. l. 32. n. 2. Borcholt.  
prox. alleg. loc.

38. Insuper quod de sententiâ per appellationem suspensa dictum, idein quoq; *de judicato per in integrum restitutionem suspenso*, afferendum d. l. si causa cognita 32. C. de transact. Quia quod jure ordinario & communi valet & efficit appellatio: Idem jure singulari & extraordinario valet in integrum restitutio l. præses provinciæ 4. ff. de minor. Proinde si sententia per in integrum restitutionem fuerit suspensa, quia adhuc lis subesse potest, nec controversia sublata est, transactio admittitur d. l. si causa 32. C. eod. tit. d. l. eleganter 23. §. 1. in fin. ff. de conduct. indeb.

39. Et hactenus dicta, de transactione simplici facile admittunt omnes: Sed an etiam transactio, quæ per Aquilianam fit stipulationem, post rem judicatam perinde fieri prohibetur? in dubium & controversiam à nonnullis vocatur: Verius tamen existimari, non min<sup>o</sup> in hac atq; in illa obtinere: Omnis quippe transactio est rei dubiæ & litigiosæ, nulla rei certæ ac litis finitæ l. 1. ff. de transact. quare de re judicata nec transactio, quæ per Aquilianam stipulationem fit, celebrari potest l. 2. ff. eod. Borch. de transact. c. 3. n. 9. Donell. in l. 32. C. eod. tit.

40. Verùm enim verò sunt res quædam, quæ licet & ipsæ dubiæ & incertæ sint, transactionem tamen minimè admittunt. Ex earum numero primò sunt *crimina publica*. l. transigere 18. C. de transact. ubi Imperatores distinguunt inter crimina publica capitalia, & non capitalia, sive pœnam sanguinis non ingerentia: ut de illis quidem transigere liceat: de his verò non item, d. l. 18. C. hoc tit. *Wesembec. in parat. ff. de transact. n. 5.*

41. Crimina autem *capitalia* frequentius ea dicuntur, quorum pœna, caput naturale vel civile tollit; & est vel ultimum supplicium, vel deportatio, §. 2. Inst. de public. judic. ut enim morte quis ex numero hominum, sic deportatione ex numero Civium Romanorum tollitur, & Civitati pro mortuo est, l. publicorum 2. ff. de public. judic. l. 2. ff. de pœn. l. sed & si quis 4. ff. si quis caution. l. 14. §. 4. ff. de bon. libert. l. 10. ff. de jur. patronat.

42. Nec ignoro latinè loquentibus, omnem causam estimationis dici capitale l. licet capitalis 103. ff. de verb. signf. At in l. nostra transigere 18. capitale crimen strictius dicitur illud crimen, quod mortem infert, & caput naturale adimit: Idq; ex oppositione crimi-

16.

criminum capitalium, & criminum sanguinis pœnam non inge-  
rentium, satis liquet: Quotiens enim pœnae capitali opponitur  
pœna non sanguinaria, toties per capitalem pœnam, vi oppositio-  
nis, pœna intelligitur, quæ simul capitalis sit & sanguinaria: At  
verò nulla pœna est capitalis simul & sanguinaria, nisi ultimum  
supplicium, seu pœna mortis, & facit, quod in inferendis pœnis  
proprietas sermonis maximè sit attendenda, l. cum lege 26. ff. de te-  
stam. Sichard. ad d.l. transigere 18. C. de transact. n. 1. & 2.

25.

43. Colligitur idem ex ratione ob quam de criminibus ca-  
pitalib⁹ transigere conceditur. Eam enim pleriq; existimant hanc:  
Quod ignoscendū sit ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter re-  
demptum voluerit, l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sentent. l fin. ff. de præva-  
rict. Naturā enim cuiq; insitum est, ut se suaq; tueatur. Nec faci-  
lē quenquam, nisi amentem reperies, adeò vitæ suæ prodigum, qui  
semetipsum in spontaneum exitium præcipitet: quin imò omnis  
honestaratio est expediendæ salutis. Nemo autem tān rerum igna-  
rus est, qui sanguinis pœnam propriè ad mortem naturalem, quam  
Aristot. in lib. de morte recessum animæ à corpore definivit, spectare  
nesciat. Borch. de transact. cap. 3. num. 66. Wesemb. in parat. ff. eod.  
num. 5.

44. Nec verò soli Reo super crimine capitali transigere  
permittitur; verum etiam Actori in l. transigere 18. C. de transact.  
Reus enim transigere non posset, nisi quoq; actori permitteretur,  
siquidem transactio utriusq; consensu, Actoris & Rei perficitur,  
ut ait Donell. in l. 13. C. de transact. Absurdum etiam & ridiculum  
videtur reo permittere, ut pecuniam sanguinis sui redimendi cau-  
sā impune det: Accusatori autem non concedatur, ut impunè ac-  
cipiat: Quomodo enim ille daret, si actor non acciperet? Non au-  
tem accipiet actor, si metuat, ne pecuniā acceptā in SCtum incidat.  
Sichard. Delrio & Alciat. in d.l. 18. C. de transact.

45. Præterea eadem in actore, quæ in reo militat ratio:  
Reo enim, ut dictum est, idcirco de criminibus capitalibus transi-  
gere licet, quia commiseratione & venia dignus videtur, qui san-  
guinem suum redimere voluit l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent. Jam  
verò etiam actor, transigens de crimine capitali, ob subscriptio-  
nem in crimen, qua ad pœnam talionis, detectā calumniā, obli-

B 3 gatur,

gatur, sanguinem suum redimere voluisse videti potest. l. fin. C. de Calumniat. l. ult. C. de accusat. Auth. sed novo C. ad L. jul. de adult. Wesembec. in parat. ff. de transact. n. 5.

46. Et hoc usq; adeò verum est, ut non solum ante, sed etiam post institutam accusationem, nulla etiam criminis abolitione impetratā, actor transigendo ab accusatione desistere possit; Nam quod legitimè fit, pœnam non meretur l. Gratus 4. C. ad L. Iul. de adult. & qui permissu Principis ab accusatione desistit, non puniri debet, l. deſtitiffe 13. ff. ad SCtum Turpilian. Fachin. lib. 1. controv. 8.

47. Transactionis verò hujus effectus est, ut reus non modò ab accusatore transigente penitus liberetur, sic ut actor ipsum amplius accusare nequeat l. 2. ff. ad SCtum Turp. Verum etiam, ut uterq; idipsum impunè ferat, accusator in SCtum Turpilianum non incidat, nec reus pro convicto & confessio habeatur, quia magis declinandi gravissimi periculi causâ, quām conscientiâ facinoris transegisse videtur, l. fin. ff. de prævaricat. Wesembec. in parat. ff. hic n. 5. Sichard. ad l. 18. C. hoc tit. Gail. lib. 1. de pac. public c. 11. Myns. cent. 6. observat. 22.

48. Eo tamen usq; vim suam non exerit transactio isthæc, ut reus per illam in totum ab accusatione liberetur, nec ab aliis accusari, nec judex in illum ex officio inquirere possit; cum transactione duorum non lædatur jus tertii l. Imperatores 3. ff. de transact. l. 1. C. eod. l. si unus 27. §. pacta. 4. ff. de pact. Et de crimine capitali accusator transigens, de suo solùm facto transigere censemur, nec jus publicum lædere, nec magistratui præjudicare quicquam valet l. juris gentium 7. §. si pacifcar. 14. ff. de pact. Bronch. Cent. 1. assert. 45. Moller. 4. semest. 1. num. 6.

49. Propinqui igitur & Cognati occisi Sempronii, Titium accusare possunt, qui cum filio ipsi<sup>o</sup> de homicidio transegit. Transaction enim, quæ cum filio Sempronii facta est, prodest Titio, quoad actionem filio competentem, non quoad actionem competentem propinquis & cognatis, cum injuria, quæ defuncto Sempronio à Titio illata est, non solum ipsum defunctum respicit, sed totam defuncti cognitionem Bart. in l. lex Cornelia. ff. de injur. & in l. transigere. C. de transact. n. 18. ibiq. Bald. n. 27. Maranta in speculo, in 6. part. de ord. judic. n. 58. Nicol. à Vall. in tract. de reb. dubiis, tract. 17. Felin. in c. litteras. n. 8. de præsumpt.

50. Agunt

16.

50. Agunt autem propinqui & cognati criminaliter tantum, ita ut pæna fisco applicetur, non etiam civiliter, ad pænam ipsis agentibus sive parti applicandam, *Bart. in d. l. Lex Cornelia*, s. num. 1. ff. de injur. *Cravet. Cons. 45. num. 1. Henning. Gode. cons. 107.* num 2. Ratio est, quod consanguinei non agunt proprio nomine, nec enim ipsi propriè sunt offensi, sed agunt nomine alieno pro injuria consanguineo suo illata, respectu interesse sanguinis ad publicam vindictam. *Maranta de ordine judicior. d. parte 6. n. 61.*

51. Sedanne prædicta transactio ad hoc saltem reo proficiat, ut Magistratus pænam ordinariam ipsi decernere nequeat, sed extraordinariè eum punire teneatur, non raro quæri solet? Et quanquam multi opinentur reo transactionem ad mitigationem pænæ prodesse; verior tamen & crebriori calculo recepta est contraria opinio. *Anton. Gomez. tom. 3. Variar. resolut. Petr. Heig. quæst. 39. num. 55. & seq. Iul. Clar. lib. 5. recept. sent. §. fin. quæst. 58. n. 5. & seq. Bachov. in not. hic thes. 5. lit. d.*

52. Cæterum ex omnium criminum publicorum capitalium numero excipitur ADULTERIUM, ut de quo transfigere licitum non sit, *d. l. transfigere 18. C. hoc tit.* Ratio verò exceptionis, ob quam de adulterio sit prohibita transactio (licet variè extent Dd. opiniones, quas recensere supersedeo) hæc omnium verissima videtur: Quod cum accusatio adulterii certis duntaxat personis competat, nempe marito, patri, consanguineis & coniunctis, quos verus dolor ad accusationem impellit, *l. quamvis adulterii 30. C. ad l. Iul. de adult. perfaciè fieri posset, ut admissa transactione facinus istud impunitum maneret, magno cum Reipubl. incommodo & detimento, cuius tamen maximè interest, ne delicta maneant impunita. l. ita vulneratus 51. §. æstimatio 2. ff. ad l. Aquil. Gilken. in d. l. transfigere 18. C. b. t.*

53. Atque hoc in tantum verum esse arbitror, ut non solum post, sed etiam ante accusationem institutam de adulterio illicita sit transactio, *Donell. Gilken. in d. l. 18. C. de transact. Dn. Gødd. in tract. de contrah. stip. cap. 6. conclus. 12. num. 142. Borch de transact. cap. 3. num. 67.* Quin nec pactio gratis & donationis causâ de adulterio interposita subsistit, cum paria sint maritum prævaricari postquam accusaverit adulterum uxoris, & fugere inquisitionem  
veri-

veritatis adulterii commissi, l. de criminis 10. C. ad l. Iul. de adult. usque adeò, ut pænam etiam incurrat, qui adulteræ ignoscit, eamque in matrimonio & thoro retinet l. crimen lenocinii 2. C. de adult. Connan. 5. commen. 7. n.3.

54. An autem adulterium ex ipsa L. Julia capitale fuerit, quæstionis est intricata? Negant. Covarr. cap. 7. quæst. pract. Hotoman. in illust. quæst. 23. Anton. Faber lib. 2. conject. cap. 20. per l. si quis viduam ff. de quæst. Sed vix hoc dari potest, quoniam ex L. Julia ab Augusto Imperatore lata, adulterium capitale fuisse, testis est omni exceptione major ipse Justin. in §. 4. Inst. de publ. judic. Quin & tempore Alexandri Imp. crimen adulterii capitale fuisse constat ex l. 9. C. ad L. Iul. de adult. Et ejusdem Imperatoris tempore illicitam fuisse pactionem de criminis adulterii, liquido cōstat ex l. 10. C. eod. tit. Atqui Imperatorem Alexandrum vixisse ac Imperio præfuisse anno urbis 974 Christi 223. atque sic ante Diclet. & Maxim. Impp. qui anno urbis 1036. Christi 284. imperarunt, testatur Hotoman. in part. historiae juris. Quamobrem existimo, pænam adulterii ordinariam ex L. Julia esse & fuisse sanguinis; extra ordinem verò JCtorum seculo sèpius relegationem, l. hodie 13. ff. de pæn. l. ordo 8. ff. de public. judic. Justinianus Imperator eam in viris retinuit in d. §. 4. Inst. de public. In mulieribus mitigavit, ut loris fustibusque castigatae in monasterium detrudantur, Auth. sed hodie C. ad L. Iul. de adult. Novell. 134. cap. 10.

55. Cum autem, ut ex haëtenus dictis relucet, de adulterio pacisci vel transigere non liceat, illudque, quo ad hoc è cæterorum criminum capitalium numero in sèpè allegata l. transigere 18. C. hoc tit. excipiatur. Controvertitur maximè inter Dd. utrumne de aliis criminibus capitalibus æquè gravibus & longè gravioribus & detestabilioribus adulterio permisum sit transigere? Quorum criminum præcipua saltem paucis attingere lubet; de reliquis enim delictis capitalibus quin concessa sit transactio, non est quod in dubium vocetur.

56. I. Itaq; quæritur, utrumne de criminis RAPTUS obtineat transactio? Circa hoc crimen puto distinguendum esse: Aut raptus accusatio ex L. Julia de adulteriis instituitur, & prohibita de eo est transactio, quoniam, tunc duplici tenetur criminis, tam adul-

24  
16.  
25.  
D  
✓

adulterii, quām raptus, l. unic. vers. quā multō magis C. de rapt. Virg. Aut raptor accusatur ex L. Julia de vi publica, & transfigere de eo licebit l. qui cōetu s. §. fin. ff. ad L. Iul. de vi public. quoniam tunc ratiō, ob quām de adulterio illicita sit transactio, in crimine raptus deficit, & plus quām manifestum est, quod ejus criminis accusatio quibusvis ē populo, atq; extraneis etiam, competit, d. l. qui cōetu s. §. fin. ff. ad L. Iul. de vi public. d. l. unic. C. de rapt. Virg. & hanc sententiam communiter receptam esse, testantur in d. l. 18. C. h. t. Anton. de Padilla num. 79. Alexand. num 12. Salic. num. 8. Alciat. n. 23. Si-  
chard. circa fin. & Angel. n. 4.

57. II. *An de stupro?* Stuprum capitale crimen non esse, prout quidem hic capitale crimen accipitur, satis constat ex §. 4. Inst. de public. judic. unde supervacaneum esse videtur quātere, utrum de simplici stupro permissa sit transactio, cum de crimini- bus non capitalibus transactionem prohibitam esse in d. l. 18. ex- pressē Imperatores sanciant. Veruntamen si fortassis stuprum ef- ficeretur capitale, locum sibi vindicaret hāc quāstio, An scilicet de crimine stupri licita sit transactio? Affirmativam sententiam puto veriorem, quoniam à regula generali proposita in d. l. 18. C. de transact. de capitalium criminum [transactione], nec ullibi in toto jure reperiatur exceptum, nec etiam sub adulterio, utpote ab illo diversissimum contineatur §. 4. Inst. de public. jud. Cui o- mnino consequens est; quod de stupro etiam capitali transactio non sit illicita; Gilken. in d. l. 18. C. h. t. num. 27. Coras. 2. Miscell. 1. num. 5.

58. III. *An de incestu?* Licet is, qui nefandissimo in cestu cognovit matrem, sororem, neptem aut filiam, multō severius sit puniendus, quām adulteri, nempe morte publica & infami, & omnibus detestabili, ut ejus exemplo terreantur cāteri per textum in l. si adulterium cum incestu 38. ubi Bart. Angel. & Alberic. ff. ad L. Iul. de adult. cap. veniens 2. de eo qui cognov. consang. uxor. At- tamen cum à regula nostra incestus nullibi excipiatur, transactio procedet.

59. IV. *An de Sodomia?* Gravissimum & jure divino & humano detestabilissimum est crimen Sodomiticum, uti constat Levit. cap. 20. versic. 13. cap. 18. versic. 22. Auth. ut non luxurien-

C tur

tur contra naturam, nempe quod à Sodomis sacra Biblia testantur traxisse originem, & ob quod Sodomitæ ipsi igne cœlesti, & sulphure absumpti sunt Genes. cap. 19. Idcirco gravissimè etiam punitur: Et quidem pœna ejus ordinaria concrematio, Carolin. constit. crim. art. 116. Attamen cum sit ei ignoscendum, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit, l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent. transactio valebit.

60. V. An de parricidio? Divinitatis nomine insignis Plato de L. scribit: Si possibile esset, sæpius aliquem mori, justissimum esset, sæpius parricidam interfici, cum per parentes suavissimam hanc lucem aspeximus. Hinc apud Romanos pœna ejus sceleris gravissima manavit, de qua in §. 6. Inst. de public. judic. l. 9. ff. ad L. Pompej. ut adeò de hoc crimen transactio planè illcita videatur. Contrariæ tamen opinioni, quæ firmioribus nititur rationibus, quare & de hoc delicto transactio sit permissa, haud invitus subscribo, Cujac. 5. observat. 11. pr. & Alex. in l. 18. C. b. t.

61. VI. An de crimen laſe Majestatis? Sunt qui existiment transactionem de hoc crimen licitam non esse, cum sit omnium atrocissimum, quod directè ad totius Reipub. vel ejus summi capitibus internacionem spectet, quod non celari tegique transactonibus, sed detegi & manifestari Reipublicæ summoperè interest, l. quisquis 5. C. ad L. Iul. Majest. Unde inferendum videtur, non posse de hoc crimen transfigi. Cum autem à regula nostra non inventiatur exceptum, de illo sicut de cæteris transfigere licebit.

62. Generaliter autem sciendum est, gravitatem criminis nequaquam esse impedimento transactiōni; cum potius quo crimen est gravius, eò facilius transactiōnem admittat: Sic enim de capitalibus criminibus permittitur transfigere; de non capitalibus non item, l. transfigere 18. C. de transact. Deinde per transactiōnem non occultatur crimen, nec aliis impeditur reum denuò accusare, nec iudex prohibetur ex officio inquirere, ac de reo supplicium sumere. Nec deniq; ad hunc finem transactio fit, ut noceatur Reipublicæ; sed solùm, ut sanguinem suum transfigentes qualiter qualiter redimant, l. 1. ff. de bon. eor. qu. ante sentent. Niel. in disp. extraord. 1. thes. 25.

63. Qua-



24  
16.

63. Quatenus super publicis criminibus capitalibus transfigere licet hactenus dictum: Sequitur nunc, ut de reliquorum criminum publicorum non capitalium transactione videamus. Et quidem de hisce criminibus publicis, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transfigere non licet, *text. est in d. l. transfigere 18. C. hoc tit. l. si quidem 9. in fin. C. de contrah. & commit. stipulat.* Cessat enim ratio redimendæ vitæ & sanguinis, *vide Matth. Klock. part. 3. cap. 1. Anton. Fab. 2. conject. 20. Borch. de transact. cap. 3. num. 91. Cujac. 6. observat. 11. Dn. Gædd. de contrah. stip. cap. 6. conclus. 12. num. 359.*

64. Crimina autem quæ hic dicuntur non capitali, vel sanguinis pœnam non ingerentia, constat ex iis quæ de criminibus capitalibus supra dicta fuerunt: Ea nempe, quæ caput naturale non tollunt, nec mortis pœnam ingerunt. Et sanguinis pœna semper pro mortis pœna sumitur, cum sanguis sit vehiculum vitæ, quo sensu Moses dixit animam carnis in sanguine esse, *Lev. cap. 17. versic. 14. Ioh. Brech. Alciat. Forner. & Rebuf. in l. licet 103. ff. de V. S. Borcholt. de transact. cap. 3. n. 66.*

65. I. Hinc super crimine fustigationis, licet sanguinis quandam effusionem contineat, transaction locum non habet: capitalis enim pœna non est *l. 2. ff. de public. judic. l. 22. de his qui not. infam.* Accedit quod Pontifices hâc pœna utantur *cap. 1. de calumniat.* qui tamen sanguinis pœnam infligere non possunt, *c. in Archiepiscopatu 4. ext. de raptor. cap. sententiam sanguinis, Ne Cleric. vel Monach.* Quandoquidem fustigatio, de qua nos loquimur, per se, & eâ, quâ oportet moderatione irrogata, mortem non adfert naturalem *l. aut damnum 8. §. nec ea ff. de pœn.* Olim enim fustiarii pœnâ plectebantur milites, qui aciem reliquissent, *Cal. Rhodig. lib. 12. antiqu. cap. 5. & in gravioribus delictis, virgis primum cæsi, deinde necabantur, Liv. lib. 2. de Brutis filiis. COSS. in sedem processere suam, missi q; lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt. Deinceps hæc pœna ex l. Portii Catonis, tantum in morte dignis delictis usurpata est, de qua passim Jcti agunt, l. 22. de his qui not. infam. l. 5. de extraord. cog. l. fin. defurt.*

66. II. Nec super membra mutilatione: Nam etsi & in eo quædam sanguinis profusio est: sanguinis tamen pœna non est: cum vita vehiculum non tollat, sed tamen in membro illo resecato sitat, Dn. Gædd. de contrah. stipulat. c. 6. conclus. 12. n. 134. & seqq. Menoch. arbitr. judic. quest. 86. n. 9. Alciat. in l. 103. de Verb. signif. Delrio ad l. transfigere n. 38. Nec facessit negotium, quod ajunt, membrum abscissum moritur: quia separatio fit animæ & illius corporis, putâ manus vel pedis amputati, cum anima tota sit in qualibet corporis parte ex sent. Arist. lib. 2. de anima; cum membrum abscissum impropiè mori dicatur, & reverâ non fiat animæ & corporis separatio, sed membra subductio & detractio. Nequit enim anima per partes extingui, nequit per partes separari.

67. III. Nec in deportatione, nec in relegatione: Deportatio enim pœna morti proxima dicitur in l. capitalium pœnarum 28. pr. ff. de pœn. Novell. 22. c. 8. Bona enim aufert, statim à damnatione l. deportatorum 8. C. de pœn. l. 10. §. 1. l. quod ad statum 12. ff. eod. tit. capitalis verò eo sensu, quo suprà non dicitur. Relegati autem civitatem retinent, l. relegati 4. l. 7. §. sive ad tempus 3. ff. de interdict. & relegat. Pœnam autem capitalem in statuto positam, de relegatione accipiendam esse quidam volunt, Alciat. de presumpt. in fin. n. 111. eò quod in ambiguis quod minimum est, eligere soleamus, l. 9. de R. I.

68. IV. Nec in pœna perpetui carceris: Hæc enim jure civili nec cognita, nec licita in liberis hominibus, l. mandatis 35. ff. de pœn. l. incredibile 6. C. eod. tit. adeò ut sententia de perpetuo carcere lata sit ipso jure nulla Cujac. 14. observat. 34. Carcer enim ex juris civilis constitutione non ad macerandos vexandosq; homines, sed tantùm continendos inventus est l. aut damnum 8. §. solent. 9. ff de pœnis. ut dum in suspenso est animus judicantium, Rei delati sint sub tutâ custodia l. i. C. de custod. reor. Quamvis nec de jure Canonico, ubi Carceres perpetui pœnæ loco sunt, c. ut commissi, vers. & illorum, de hæret. in 6. transactio obtainere possit, Petr. Gregor. Tholos. 31. syntag. 33. num. 14. latè Menoch. arbitr. jud. quest. 86. Treut. vol. 1. disp. 7. thes. 5. lit. b.

69. V. Nec in causa honoris: Propriâ enim significatione, quæ in inferendis pœnis spectanda, fama vitam secum non trahit & vita

16.

& vita semel amissa recuperari nequit. Fama etsi difficilius, ut *Hieron. ad Marcell.* scribit, tamen rumor falsus tandem opponitur, & vita posterior indicat de priore, si anno præterito fama mentita est, aut certè verum dixit, esset vitium; cessabit & rumor. *Alciat.* n. 43. *Pac. d.n.; 4. C. de transact.*

25.

70. *V I. Nec in pena arbitraria:* Questionis hujus decisio pendet ex eo, An judex in arbitrariis ad pœnam mortis procedere possit? Puto judicem diligenter circumstantiis consideratis, posse ad mortis pœnam procedere, si delicti gravitas id postulaverit. *I. perspicendum* II. *I. hodie 13. ff. de pœn.* Casus est in *I. saccularii* 7. *I. sunt quædam* 9. *ff. de extraord. crim.* I. I. *C. de his qui latron. occult.* Ex quo nunc facilis ad propositum erit responsio, si verosimiliter ex delicti atrocitate veniat infligenda capitis pœna, licita erit transactio, aliâs non item. *Manil. disp. 3. n. 14.*

71. Cur autem de Non-capitalibus criminibus prohibita sit transactio, ratio hæc est; Quod accusator transigens incidat in *SCtum Turpilianum*, & nō solùm notetur infamia, verum etiam multa pecuniaria, & pœna extraordinaria afficiatur. *I. 2. C. ad SCtum Turp.* *I. prævaricationis* 3. §. fin. ff. *de prævaricat.* & *I. 4. C. eod.* Reus verò pecunia accusatorem corrumpens pro confessu & convicto habeatur *I. fin. ff. de prævaricat.* Quare de hisce criminibus nec Accusatori, nec Reo transigere licet.

72. Sed nec gratis & donationis causâ de iisdem criminibus post institutam accusationem pacisci permittitur, siquidem accusator quomodo cuncti ab accusatione desistat, sive gratis, sive accepta pecunia in pœnam *SCti Turpillaryi* incidit. *I. 1. §. si quis* 7. & tot. tit. ff. *ad SCtum Turpillaryan.* Et pacificando etiam de publico crimen, prævaricaretur *I. 10. C. ad L. Iul. de adult. Donell.* in *I. transigere* 18. *C. hoc tit. num. 19. Klock.* *ibidem part. 3. cap. 3.* & *Gilken.* num. 68.

73. Sanè, etsi Accusatori neque transigere, neque pacisci de crimen non capitali licet: ut modò dictum: In Reo tamen aliud tentabo, dicendo, quod quamvis transigere ei non liceat, quin crimen confiteri videatur: quasi non nullâ de causâ, sed conscientiâ criminis adactus Accusatori quid dederit vel remiserit: Pacisci tamen ei liceat. *arg. I. furti.* 6. §. *pactusque.* 3. ff. *de his qui*

*ut. infam.* Ut ita neque frustrà transactionis tantum, non etiam pactionis mentio in posteriori d. l. 18. membro videatur facta:

74. Cæterum hæc post denunciationem demum factam & accusationem institutam procedunt: Antequam enim criminis accusatio instituitur, utrique tamen accusatori quam reo licita est transactio: Cessat quippe hic ratio, ob quam de criminibus Non-capitalibus post institutam accusationem, interdictam esse transactionem dicebam: *Quia Accusator de crimine publico non capitali ante litem contestatam transigens, non potest dici ab accusatione, quam nondum instituit destitisse. Reus vero, qui ante & extra judicium transigit, licet videatur delictum fateri, confessio tamen ista extrajudicialis & quidem præsumpta est, qualis ad condemnationem non sufficit, Gloss. in l. 4. ff. de interrogat. ad. Wesembec. in parat. ff. de transact. n. 5.*

75. De criminibus non capitalibus transactionem prohibitam esse satis superque demonstratum fuit. De crimine tamen FALSI, cum Latinis antiquioribus, & Græcis omnibus statuo quod transigere liceat, l. 18. C. de transact. ubi Impp. Diocletian. & Maxim. postquam pro regula tradidissent, quod de criminibus, pœnam sanguinis non ingerentibus transigere non liceat, expressè crimen FALSI excipiunt. Etsi enim vocula CTRA ambiguum habeat significationem, & interdum idem quod SINE seu ABSQUE significet, ut in l. fin. ff. de public. judic. l. pro herede. 20. §. Papinianus 4. ff. de acquir. heredit. Aliâs vero idem, quod PRÆTER denotet, ut in l. de servo 9. ff. de Calumniat. in priori tamen significatione idem in d. l. 18. accipi non potest, quoniam qui cum reo de crimine non capitali transigit, nec falsum committit, nec in falsi accusationem incidit; cum hoc nulpiam in jure nostro cautum legatur. Relinquitur itaque, voculam CTRA hoc loco exceptivè pro PRÆTER sumi, perinde ac si Dioclet. & Maxim. scripsissent: De criminibus, quæ pœnam sanguinis non ingerunt transigere non licet, EXCEPTA FALSI ACCUSATIONE: quam opinionem fovent atque tuentur, Dn. Gædd. de contrah. stipulat. cap. 6. num. 160. & eleganter Dn. Mejer. in Collegio Iuridico Argentoratensi de transact. th. 15.

thes. 15. & seqq. Borch. de transact. c. 3. n. 93. Cujac. 6. obser. II. Fachin. I.  
Controv. 8.

76. Etsi autem de prædictis criminibus impunè transigere vel pacisci non liceat: Si tamen transactum fuerit, & accusator semel ab accusatione trasigendo vel paciscendo desisterit, amplius ad eundem reum de crimine eodem ad accusandum & deferendum non admittitur *l. quamvis 3. C. ad SCtum Turp.* Et illis quoq;, qui ad accusandum non admittuntur, annumeratur, qui numeros ob accusandum vel non accusandum acceperit, *l. 8. ff. de accusat.*

77. Hactenus de publicorum criminum transactione dictum fuit. Restat ut videamus; *Nunqnid de privatis criminibus pacisci vel transigere liceat?* In hac quæstione perquæm difficiili, licet diversæ reperiantur interpp. opinones, sic puto distinguendum esse, utrum lis sit contestata, an nondum contestata; ut quidem priori casu de criminibus privatis nec transigere, nec precio pacisci liceat; sed transigens aut paciscens pœnam infamiae incurrat, *l. athletas 4. §. fin. l. quoniam 5. l. furti 6. §. pactus 3. ff. de his qui not. infam. §. 2. Inst. de pœna. tem. litig. posteriori* verò casu, quo nempe lis nondum est contestata de privatis criminibus, veluti *farto, rapina* &c. licita & impunita sit transactio, *l. interdum 56. §. qui tutelam 4. ff. de furt. l. si pro fure 7. ff. de condic. furtiv. l. post decisionem C. de furt. l. si tibi 17. §. 1. ff. de pact. W esembec. in parat. ff. de his qui not. infam. n. 5. Gilken. in l. transigere 18. n. 61. C. de transact.*

78. Et hæc sententia rectè & cum grano salis accepta, videtur verissima: Primi enim quod post litem contestatam non liceat de criminibus privatis transigere, aut precio pacisci, haud obscure probant supra adductæ leges: Qui textus, et si videantur principiò generaliter & indistinctè loqui, eos tamen ad transactionem post litis contestationem restringendos esse, ex ratione d. *l. 5. ff. de his qui not. infam. perspicuum est: Quæ ratio hæc est, quod reus confiteri crimen videatur, qui datâ pecuniâ transigit aut paciscitur: jam verò certi & expediti juris est, quod confessio solùm judicialis vim habeat judicati l. elecio 6. §. pen. ff. de noxal. act. cui consequens est, quod omnes*

omnes illæ leges, quibus sub pœna infamiae transactio super criminibus privatis interdicitur, intelligi debeant de transactione non ante, sed post litis contestationem interposita, cum ex ratione legis mens legis optimè colligatur, *l. scire. ff. de legib.*

79. Veruntamen quod modò dictum est, de criminibus privatis transactionem interdictum esse, id de reo solùm, non etiam de auctore accipiendum est, quoniam ratio, ob quam transigentes incident in pœnam infamiae, ad reum duntaxat pertinet. Deinde, quod & pactio de privatis criminibus vindicari dicitur, id, ipsomet Ulpiano interprete, de pactione, quæ pretio fit, accipi debet, *d. l. 6. ff. de his qui not. infam.* quia is, qui pretio paciscitur aliquid faciat & quodammodo emat redemptionem judicii: idque cum suo incommodo, non præsumitur sine causa, sed ex conscientia delicti premium dedisse; & ideo pro confessio & convicto habeti, ac si de delicto condemnatus fuerit, infamiae pœna affici debet: Nam nemo præsumitur jactare suum *l. cum de indebito. 25. ff. de probat.*

80. Cum autem ratio isthæc in eo, qui gratis paciscitur deficiat, & is nil quicquam det aut faciat, unde præsumptio confessionis elici possit; sed solum acceptet remissionem litis; acceptatio autem nulli fraudi esse debeat, cum adjuvari nos, non etiam decipi oporteat, *arg. l. si ut certò. 5. §. fin. ff. commodati.* Ideò gratuita de privatis criminibus pactio etiam Reo est licita. Quod si ante litis contestationem transactio pactione interponatur, non solum infamiae pœnæ transigens non mulctatur, sed etiam plenam ab accusatore liberationem consequitur: Etsi enim hic transigens aut pretio paciscens pro confessio haberetur; confessio tamen isthæc saltem extrajudicialis, adeoq; ad condemnationem insufficiens foret, *d. l. electio 26. §. pen. ff. de noxal. aet.* Et hæc de transactione criminum.

81. De controversiis autem, quæ ex testamento proficiuntur transigi aliter non potest, quam inspectis cognitisq; verbis testamenti, *l. 6. ff. de transact. l. i. §. i. ff. quemad. testam. aper.* Cujus rei ratio obscura non est. Si enim non visis, nec cognitis verbis testamenti transigeretur, ampla aperiretur fenestra fraudibus atque insidiis illorum, qui legatarius atq; fideicommissariis obrepent-

repentes, cum illis parvo decidere solent, quasi non certa res eis fuerit relictā, sed dubia spei alea: Accedit insuper quod cum aliter veritas exquiri non possit, quām inspectis verbis testamenti, unde voluntas testatoris ultima colligatur, per facilē fieri posset, ut voluntas defuncti ultima exitum habere impediretur, quam tamen exitum sortiri publicē ac privatim interest, l. i. C. de SS. Eccles. Adde quod de controversiis ex testamento descendantibus lis esse non potest, nisi inspectis & cognitis verbis testamenti: transactio autem de illis duntaxat rebus procedit, de quibus lis ac controversia esse potest l. i. ff. de transact. l. 2. C. eod. Anton. Faber in Rat. ad d. l. 6. ff. de transact. Borcholt. cap. 3. num. 15. Sichard. ad l. 19. C. hoc tit. Donell. in l. 3. num. 32. eod. tit. Gilken. in l. 29. C. de transact.

82. Cum itaque veritas in causis & controversiis testamenti aliter exquiri non possit, quam si inspiciantur verba testamenti d. l. 6. ff. b. t. consequens est, ut nec sententia sine inspectione testamenti ferri possit, l. i. §. i. ff. quemad. test. aper. Et profectò imperitissimus atq; ineptissimus foret judex, si nondum cognita & explorata veritate sententiam ferret, cum ex eo tota vis causæ pendeat, ut judex testamenti verba ponderet, quoniam de voluntate defuncti aliunde constare non possit. Quocirca ut transactio de causa testamentaria subsistat, mentio facienda est in transactione testamenti, quod sit facta cognitis & inspectis verbis testamenti.

83. Sed quoniam ratio, ob quām de controversiis testamentariis transactio est prohibita, in iis controversiis ex testamento nuncupativo proficiscentibus penitus deficiat, cum veritas aliunde, quām ex testamenti instrumento, sciri & exquiri possit, nempe ex testibus, coram quibus testator voluntatem suam nuncuparit, ut proinde opus non sit, tabulas testamenti nuncupativi, si quæ factæ sunt, prius inspici, quām transfigatur. Borcholt. de transact. cap. 3. num. 19. Bachov. in not. ad Treut. vol. 1. disp. 7. thes. lit. e. in fin.

84. Cognitio autem & inspectio verborum testamenti scripti adeò est necessaria, ut huic transigentes non possint renunciare; Hæc enim conventio sive renunciatio est contra jūs publicum,

D licum,

licum, cum publicè expediat, supra hominum judicia exitum habere, l. 5. ff. quemad. testam aper. Juri autem publico pactis privatorum derogari nequit, l. jurisgentium §. si. pacifcar 14. l. si annus 27. §. pacta 4. l. jus publicum 38. ff. de pact. nec transactione duorum læditur justitiae. l. 3. ff. de transact. siquidem non in favorem ipsorum contrahentium, sed in gratiam defuncti prohibitum est de controversiis testamentariis non inspectis testamenti verbis transigere, ne scilicet voluntas ipsius ultima temere evertatur & circumveniatur, Borch. d. cap. 3. num. 21. Donell. in l. 32. C. de transact. Bart. Bald. Salicet. in l. 6. ff. eod. Quod adeò verum existimo, ut nec jurata renunciatio valeat, quoniam omne juramentum, quod actui, legibus civilibus contrario, accedit, improbat d. l. jurisgentium. 7. §. & generaliter 16. ff. de pact. l. si quis. 112. §. fin. ff. de legat. i. l. 5. C. de legib.

85. Verum de controversiis ex testamento descendenteribus gratis & donandi animo, non cognitis verbis testamenti pacisci licet, quoniam unusquisque de re sua pacisci, suique juris persecutionem deteriorem constituere potest. l. jurisgentium 7. §. si pacifcar, 14. l. pactum 46. ff. de pact. Nam quisque id quod sibi in testamento legatum, aut per fideicommissum relictum est, repudiare & acceptum alii donare potest, nec quicquam eo contra voluntatem defuncti peccatur, ut quæ non hæc sit, quo legatarius aut fideicommissarius illud nolens volens habeat, atque invitus acceptare cogatur.

86. De futuris autem alimentis quavis ultima voluntate relictis, sine prætoris cognitione & decreto transigi non potest; cum enim testatores frequenter cognatis suis atque amicis tenuibus, neque satis ad rem suam attentis, benignè facturi non certam illis summam semel relinquerent, sed alimentorum nomine annum quippiam legarent, accidit, ut iidem modico præsenti contenti, facile cum heredibus transfererent, quam ut præstationes illas annuas præoptarent, atque ita defunctorum voluntates revertentur, ipsique alimentarii alimentarii alimentis de fraudarentur, l. cum hi 8. ff. de transact. l. 8. C. eod. tit.

87. Cæterum alimentis relictis, non modo victus, sed etiam amictus & habitatio continentur l. legatis 6. & l. fin. ff. de aliment.

ment. legat. II. verbo *victus* 43. l. *quos nos hostes* 234. in fin. ff. de V. S. prohibita igitur de alimentis transactione, etiam de habitatione & vestiario interdicta censetur, si quidem prohibitio hæc, inconsulto prætore, in favorem cùm ultimarum voluntatum, tūm alimentarii recepta: Remissio verò contraria de causa est odiosa; illa igitur extendenda, hæc verò restringenda cap. *Odia de Reg. jur.* in 6. Adde quod Oratio D. Marci de habitatione & vestiario specialiter transfigi jussit, d. l. *cum hi* 8. §. qui transigit 12. ff. de transact. *Sichard.* in l. 8. C. eod.

88. Sicut autem de ipsis alimentis, inconsulto prætore transfigere non licet, sic nec de lite alimentorum, ne Oratio Divi Marci, quæ transactionem sine prætore prohibet, circumveniatur. Excogitant enim multi varias fraudes & saepius lites singunt, ut prætextu litium transfigere possint. Prætor ergò quando de alimentis lis est, dispicere debet, utrum vera sit lis, an facta, & ipsius prætoris auctoritate, de lite super alimentis transfigendum est, ne quid in fraudem Orationis Divi Marci fiat, d. l. *cum hi* 8. §. si cum his 20. ff. hoc tit. *Borcholt.* de transact. cap. 3. num. 59.

89. Atque hæc prætoris cognitione in alimentis testamento usque relictis adeò necessaria est, ut nec permissu prætoris sine causæ cognitione facta transactio valeat. Prætori enim ea res querenda est, non negligenda, nec donanda. Sed etsi non de omnibus inquisierit, quæ oratio mandat, hoc est, de causa, de modo, de personis transigentium, dicendum est, quamvis de quibusdam inquisierit, transactionem esse irritam, d. l. *cum hi*, §. si prætor ff. de transact. *Borcholt.* d. cap. 3. num. 55.

90. Quin nec alii prætor cognitionem mandare potest, sed ipse cognoscere debet d. l. *cum hi* 8. §. sed nec 18. ff. eod. siquidem cognitione alimentorum specialiter fuit prætori aut præsidi delata. Quæ autem lege vel SCto specialiter alicui deferuntur, ea nec mandari possunt, nec mandatà jurisdictione transferuntur, l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisdict. *Hotoman.* *Anton.* *Faber* & *Cujac.* in d. l. *cum hi* 8. §. 18. ff. eod. *Borcholt.* de transact. cap. 3. num. 57.

91. Insuper nec alimentarius huic cognitioni super alimentis renunciare potest; sed siquidem alimentarius ei renunciarit, atq; transactionem, prætoris cognitione etiam non accedente, ratam fore alimentarius caverit, transactio tamen nullius sit momenti, ac sine prætore pro non facta habeatur: Etenim forma in unoquoq; negotio à legibus præscripta exactè, & ad unguem est servanda, arg. l.8. §. si prætor ff. de transact. Accedit quod illis demum quisq; renunciare possit, quæ in favorem ejus sunt introducta: Ea verò, quæ Divi Marci Oratione prætori injunguntur, non sunt in favorem alimentarii solius, sed etiam, & quidem vel maximè, in favorem ultimæ voluntatis introducta.

92. Et hoc in tantum procedit, ut nec jurata subsistat renunciatio, quoniam ejusmodi renunciatio, utpote legibus contraria, per se ipso jure sit nulla atq; pro infecta habeatur, per jusjurandum confirmari nequeat, l. si quis 112. §. fin. ff. de legat. l. l.5. C. de Legib. Accedit quod & jure Canonico illud demum juramentum servari debeat, quod neq; vi, neq; dolo extortum est, nec vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum, cap. quamvis, 2. de pact. in 6. Sed hæc renunciatio tenderet in præjudicium ac detrimentum testatoris, in cuius etiam favorem est cognitio de alimentis introducta, & cuius voluntatem ultimam exitum sortiri interest, l. 1. C. de SS. Eccles.

93. Cognoscit autem prætor, uti dictum, de tribus, 1. de causa transactionis. 2. de modo. 3. de persona transigentium, d. l. cum hi, 8. §. vult igitur, 8. ff. hoc tit. Inter causam inquirere prætor debet, an justam habeat alimentarius transigendi causam, ob quam de alimentis transactio admitti potest. Justa transigendi causa est, si alibi domicilium habeat, aut habiturus sit heres, à quo alimenta sunt præstanda, & alibi alimentarius d. l. 8. §. in causa, 9. ff. eod. tit. Cum enim heres cogi non possit, ut alio in loco, quam domi suæ legata præstet, & alimentario molestum sit illic alimenta percipere, transactio à prætore erit concedenda, Bart. in tractatu de aliment. num. 24. Bald. Consil. 484. Alexand. consil. 100. in princ.

94. Sanè heres quandoque tenetur alimenta præstare alimentario etiam extra domum suam; ut si alimenta sint reicta mulieri,

11.

mulieri, quæ salva honestate cum heredibus commorari non posse. Nec enim posse dicimur, quæ cum honore non possumus, l. nepos Proculo, 125. ff. de Verb. signif. Et hoc casu mulier habet justam causam mutandi domicilium, Bald. in l. 1. ibidem, Iason. num. 4. C. de Legat. Roland. à Valle Conf. 22. n. 11. lib. 1.

2,5.

95. Hoc amplius si alimentarius ob immodicam sævitiam & malos mores, cum herede habitare non possit, vel si lis & inimicitia inter heredem & alimentarium orta fuerit, tenetur heres extra domum suam alimentario alimenta præstare, Bald. in Auth. quo tecum C. de Collat. Menoch. arbitr. judic. quest. cent. 2. casu 170. n. 16. Iason. Consil. 44. lib. 2. Roland. à Valle d. Consil. 22. n. 12. Ruin. Consil. 80. vol. 2.

D

96. Deniq; si heredes qui alimenta præstare debent, bona testatoris inter se diviserunt, & communem habitationem separarunt, aut si casu aliquo fortuito, vel in heredis vel in alimentarii persona in domo heredis alimenta præstari non possunt, Roland. à Valle d. Consil. 22. n. 14. vol. 1. Ruin. d. Consil. 80. vol. 2. His casibus exceptis alimenta præstantur in domo ejus qui gravatus est, nisi aliunde appareat, testatorem voluisse, ut alimenta suppeditarentur, non in domo gravati, sed in loco domicilii ipsius gravati, Bart. in l. qui concubinam, 29. ff. de Legat. 3. Borcholt. de transact. cap. 3. num. 47.

7

97. Justa quoq; transactionis causa est Necessitas; si scilicet causa aliqua urgeat præsentis pecuniae, l. cum hi, 8. §. in causa 9. ff. de transact. ut si alimentarius habeat filiam nubilem, ad quam elocandam pecunia ipsi opus est: similiter si filium habeat captum ab hostibus, nec illi aliunde suppetat pecunia, qua filium redimere queat, alimentarius cum herede prætoris autoritate interveniente, super alimentis transigere poterit, Fulgos. & Iason. in d. l. 8. §. 9. ff. eod. tit.

D ; moda

98. Deniq; si à pluribus alimenta sint relicta, & alimentario minutatim singulos convenire sit ei molestum & difficile, transigere potest, ut unus illi alimenta præstat. l. solent judices 3. ff. de aliment. & cib. legat. cum & aliâs per quâm molestum sit creditori in plure distingi adversarios, l. & ancillarum, 27. §. si quis cum seruo, 8. ff. de pecul. & particularis solutio non minima habeat incom-

moda; l.3. ff. famil. hercisc. Ideò & hæc est justa causa, ex qua transactio debet admitti, Borcholt. de transact. c.3. n.49.

99. Præter has modò recensitas, si & alia fuerit causa, ob quam de alimentis transigi & quum & bonum visum fuerit prætori, authoritate ejus transactio procedet, quæ arbitrio & discretioni ipsius æstimanda & dijudicanda relinquitur, d.l. cum hi. 8. §. 9. in fn. ff. de transact. & exempla hic enumerata non restringunt, arg. §. hactenus, 7. Inst. de gradibus, Menoch. arbitr. judic. quest. cent. 2. casu 170. n. 6. Borcholt. d.c.3. n.49.

100. Ex modo deinde & quantitate pecuniæ, quæ pro alimentis transactionis nomine datur, æstimat prætor, an transactio nem concedere debeat? siquidem ex modo fides transactionis æstimatur, & an bona vel mala fide fuerit facta dijudicatur. Modus autem iste seu quantitas ex ætate & valetudine ejus, qui transigit, arbitrandus est: Cum enim alimenta cum vita alimentarii finiantur, idèò aliter cum sene, aliter cum juvener, aliter cum puer tran sigendum erit, ita ut alimentorum nomine plus puer quam juveni detur, ut quorum ille hoc diutius vivere præsumatur: Eademq; de causa plus juvenis accipiat quam senex d.l. cum hi. 8. §. modus 1. o. ff. de transact. Borcholt. n. 50.

101. Deniq; persona tam alimentarii quam heredis, à quo alimenta sunt præstanta, considerari debet. Et quidem in persona alimentarii spectandum, non qualis sit ejus conditio & fortuna, sed quales sint ejus mores, utrum homo sit frugi vitæ, an sequioris, seu, ut alii legunt, segnioris, vel nequioris. Illi enim de alimentis transigere permittitur: Huic verò non item. In persona heredis hæc erunt specienda: In quibus sit facultatibus, cuius propositi, cuius opinionis; Tunc enim apparebit, nunquid circumvenire velit eum, cum quo transigit, d.l. 8. §. 11. ff. hoc tit.

102. Quid verò dicendum, si quis citra prætoris auctoritatem transegerit, ut quod per singulos annos erat ei relictum, con sequeretur per singulos menses? aut quid, si quod per singulos menses ei relictum erat, con sequeretur per singulos dies? quid deinde, si quod consummato anno ut acciperet, initio anni conse quatur? Et respondet Ulpianus, puto eam transactionem valere, quia meliorem suam conditionem alimentarius tali transactione facit:

facit: noluit enim oratio D. Marci alimenta per transactionem intercipi, d. l. cum hi. §. 6. ff. eod.

103. Similiter si alimentarius ita sine prætore transegerit, ut in vicem frumenti, olei, & cæterorum, quæ ad victum necessaria sunt, nummum quotannis, vel quot mensibus acciperet, & neque diem neque modum permuravit, sed tantum genus. Vel ex contrario si pactus fuerit, ut in generibus alimenta acciperet, quæ in nummis ei erant relicta, hoc est, si pactus fuerit, ut pro nummis, quos singulis annis, vel singulis mensibus accipere deberet, solvere retur singulis mensibus Oleum aut frumentum. Vel si alimentarius vinum pro oleo permutavit, transactio valebit.

104. Ita quoq; si ad habitationem certa quantitas sit annua relicta, & ita transactum sine prætore, ut habitatio præstetur, valet transactio, licet ruinæ vel incendio sit subjecta. Sic per contrarium, si pro habitatione, quæ erat relicta, placuerit certam quantitatem præstari, quamvis transactio fuerit facta absq; prætoris autoritate, nihilominus rata & firma erit, si modò utilis sit alimentario, d. l. cum hi. 3. §. fin. ff. hoc tit. Borcholt. de transact. c. 3. num. 63.

105. His igitur Casibus omnibus alimentarius meliorem suam conditionem facere potest sine prætore, deteriorem non potest. Nihil autem interest, utrum libertini sint, an ingenui quibus alimenta sunt relicta, satis locupletes, an minus, d. l. cum hi. §. 7. ff. eod. Etenim qui hodie locupletes sunt, cras min<sup>o</sup> esse possunt. Cum aliquando evenit, ut alimentari<sup>o</sup> paulò post in paupertatē incidat, & non habeat, unde vivat. Fortuna enim nunquam sistit in eodem statu, semper movet, variat & mutat vices, & summa in imum vertit, & versa erigit; Ac ut ille inquit:

*Irus & est subito, qui modo Cras erat.*

105. Cum autem sine prætoris autoritate de alimentis vel lite alimentorum transactum fuerit, & is qui alimenta debet, ob transactionem sine prætore initam, aliquid alimentario dederit, non immerito queritur, nunquid datum repetere possit? Resp. Ulpianus, quod datum ex causa transactionis inconsulto prætore facta, imputatur in alimenta præterita, d. l. cum hi. §. 21. & seq. ff. hoc tit. l. eleganter. 23. §. 2. ff. de condit. indebit. Nec interest, siue tantum

tantum in eo sit quod datum est, sive plus, sive minus; nam et si minus sit, adhuc tamen id, quod in solutum datum est in præterita alimenta imputabitur, & quod amplius ex causa alimentorum debetur, id præstabitur. Si verò plus sit in eo quod datum est, superfluum condicetur. Oratio enim D. Marci, sive SCtum facit, ut quod solvit ex causa transactionis absque prætore inita, nullo modo debeatur, d. l. eleganter §. 2. ff. de condict. indebit.

107. Ita demum tamen superfluum condicitur, si alimentarius, qui de alimentis transagit, locupletior sit factus ea solutione. In id enim quod factus est locupletior, æquissimum est, in eum dari repetitionem, quia non debet ex alieno damno fieri locuples, d. l. cum hi. §. 22. ff. hoc tit. Quamvis autem id, quod transactionis causa datum est, in alimenta imputatur, ut dictum est: tamen nonnunquam etiam aliam in rem, quam in alimenta computatur: Nam id quod alicui datum est nomine transactionis alimentorum sine prætore factæ, prius imputabitur in legatum, quod præsenti die datum est: Superfluum in alimentariam causam, hoc est, id quod datum est, & legatum excedit, in præterita alimenta imputabitur, d. l. cum hi. §. si eidem alimenta. 21. ff. hoc tit. Borcholt. de transact. c. 3. n. 61.

108. Pactio autem gratuita de futuris alimentis non improbatur, cum ejus diversa sit ratio ac transactionis. Licet enim unicuique beneficium alienum in totum repudiare, etiam invito eo qui defert: cum invito beneficium non detur, l. invito. ff. de Reg. jur. Transactio autem ideò prohibetur, quia alimentarii modico contenti, facile ad transigendum adducerentur, d. l. 8. ff. de transact. atque ita per transactionem alimenta interciperentur ultimæque defunctorum voluntates everterentur; Quæ ratio in pactione donationis causâ non perinde sibi locum vindicat: Siquidem hominum ea est natura, ut non facilè donent, suasque res jacent, l. cum de indebito 25. ff. de probat. Hinc Senatus consuto Vellejano mulier intercedere seu fidejubere prohibetur: At donare non prohibetur, quia facilius se mulier obligat quam donat, l. 4. ff. ad SCtum Vellej. Donell. in d. l. 8. C. de transact. Connan. lib. 5. Comment. 7. Scipio Gentil. in tract. de aliment. c. 4.

109. Cate-

24  
11.  
25.

109. Cæterum de alimentis præteritis transactio valebit, cum hæc propriè loquendo, non sint vocanda alimenta, quia nemo possit ali in præteritum: solum igitur secundum quid alimenta dicuntur, facta scilicet relatione ad testamentum defuncti, qui ea reliquit, & ad id quod præstari debuit: Et periculum nullum ne quis egeat aut fame pereat, quod antea alimentis sibi debitibus nec præstitis caruerit, ut contra verendum est, si alimentis futuris se privet transigendo, *Wesenbec. in parat. ff. de transact. num. 5. Treutl. vol. 1. disp. 7. thes. 4. lit. g. Moller. 5. semest. 42. n. 1.*

110. Similiter de alimentis ex contractu debitibus sine decreto prætoris licita est transactio, *d. l. cum hi. 8. §. 2. ff. hoc tit.* Ratio enim hic supra dicta, quæ potissimum favore ultimæ voluntatis nititur, in his alimentis, quæ ex contractu debentur, cessat. In contractibus enim non ei consultur, cui alimenta debentur, sed promissor sibi plerunque prospicit, divisus scilicet pensionibus. Promissoris quoq; voluntas non læditur, quando alimentarius cum promissore de alimentis transigit, *Borcholt. de transact. cap. 3. num. 36. Cujac. & Donell. in d. l. cum hi. 8. ff. hic n. 5.*

111. Deinde etiam de salario annuo, quod honoris gratiâ alicui relictum est, non alimentorum causâ, transactio sine prætore fieri potest. Hic enim contra orationem D. Marci, quæ de alimentis loquitur, nihil fit. Sic si ususfructus alicui fuerit relictus, non alimentorum causa, sed honoris gratia, transactio institui potest, secus si ususfructus alimentorum vice sit relictus, *d. l. cum hi. §. si in sigulos annos, 23. ff. eod. Borcholt. d. cap. 3. n. 62.*

112. Ad conservandum etiam matrimonium, ut sponsa petita maneat sponsa, & uxor maneat uxor, transactio valet; sed contra ad dissolvendum conjugium minimè procedit, *cap. fin. ext. de transact.* Quos enim Deus conjunxit, homo non separet, *Matthæi 19. verfic. 6. Schneidvr. ad §. item si quis postulante, ii. num. 28. Inst. de act.* Quod si de matrimonio promisso initisq; sponsalibus controversia sit, atq; ea, quæ sibi matrimonium promisum dicebat, in probatione succubuerit, dubium nullum est, quin super stupro & alimentis cum stuprata & sobole ex ea concepta, jure transigi possit, vel etiam super injuriis inter contrahentes sponsalia, & tertium procum subortis, *Beust. de spons. & matrim. p. 1. cap. 30. Treut. vol. 1. disp. 7. th. 4. lit. a.*

E Sed

113. Sed & de dubia status quæstione & controversia valabit transactio; & quidem si hoc agatur, ut is, qui servus dicebatur, pro libero in posterum haberetur, nec ipsi ab adversario status controversia moveri possit, l. fin. C. de transact. Ita tamen transactio non procedit super statu servili, ut qui servus dicebatur, servus maneret, nec amplius libertatis suæ quæstionem faceret, quoniam perquam durum est, repertis postea novis instrumentis & probationibus, jus proclamandi in libertatem denegare, cum libertas sit res inestimabilis. *Bachoy. in not. ad Trent. vol. 1. disp. 7. thes. 4. lit. a. Accurs. & Donell. in d. l. fin. C. eod. tit.*

114. Deniq; etiam in causa status Monastici maximè dubia licet transigi potest, quoniam ab illa regula, quod de qualibet causa dubia transigi queat nuspam excipiatur. Nec facessit negotium, quod causa hæc sit spiritualis, & ideo pecunia dari, citra Simoniaci ambitus vitium, non possit, cap. fin de Simon. Siquidem hoc concluderet, si transactio fieret de causa certa, atq; hoc ageretur, ut qui revera Monachus est & habitum religionis semel assumpsit, ad statum istum non revertatur: verum nos versamur in eo casu, quo adhuc incertum est, utrum sit Monachus an verò non, *Trent. vol. 1. disp. 7. thes. 4. lit. a.*

CAP. IV. 115. Sequitur nunc, ut de vi & effectu transactionis dicamus. Effectus autem transactionis sunt varii & multiplices: Primus tamen eorum & præcipuus est, quod rebus dubiis ac litibus incertis finem imponat, & non minorem habeat autoritatem, quam res judicata, l. non minorem 20. C. de transact. ita, ut quemadmodum res judicata finem controversiæ facit, sic quoque transactio lites finiat atque decidat: unde in jure nostro litis decisio appellatur l. post decisionem, 13. C. de furt. l. 24. C. de transact. *Wesenbec. in parat. ff. hic num. 7. Moller. 4. semest. 1. num. 1. Borch. de transact. cap. fin. num. 1.*

116. Quinimò majorem in eovim habere transactio quam res judicata videtur, quod si acceptatione vel simplici vel Aquiliana stipulatione fuerit facta, ipso jure actionem perimat, cum res judicata ope solum exceptionis actionem tollat, l. 4. C. de transact. *Borch. d. cap. fin. num. 3. Planè si pacto solum con-*

convento facta sit transactio, prior actio non ipso jure sublata censetur, sed ad eam excludendam, si actor agere perrexerit, exceptio reo competit, l. cum proponas 17. C. hoc tit.

117. Secundò ad transactionis effectum pertinet, quod lis ac controversia semel legitimis transactionibus finita, facile ac temerè resuscitari non debeat, l. interpositas, 13. C. de transact. non solùm idcirco, quia humanæ fidei nil magis est congruum quam ea, quæ placuerunt servari, l. i. ff. de constit. pecun. l. non minorem, 20. C. hoc tit. Verum etiam quia nullus foret litium finis, si à transactionibus bonâ fide interpositis temerè discedere licet, l. fratribus 10. C. cod.

118. Hinc causæ vel lites transactionibus decisæ, ne quidem Imperiali rescripto resuscitari possunt, l. causas 16. C. de transact. Licet Princeps in suo rescripto nominatim addiderit, velle se rescripto suo stari, non obstante d. l. causas 16. arg. l. fin. C. si contra jus. Tum quod Princeps ea quæ sunt jurisgentium tollere & mutare non possit, Gloss. & Dd. in d. l. fin. C. si contra jus; Transaction autem omnium confessione sit jurisgent. Tum etiam, quod Princeps suo rescripto sententiam rescindere nequeat, l. fin. C. sent. rescind. non poss. Transactionis autem non sit minor autoritas quam rei judicatæ, l. non minorem, 20. C. de transact. Donell. & Gilken. in d. l. 16. C. hoc tit. Fachin. 8. controv. 63. Menoch. arbitr. quest. lib. i. quest. 48. num. 7.

119. Unde si alteruter transigentium, hujusmodi à Principe, contra transactionem, impetraverit rescriptum, admittendus non est, sed judex illum à limine judicii procul arcere ac repellere debet, arg. d. l. fin. C. sent. rescind. non poss. Talia quippe rescripta jubentur Constitutionib. Imp. in judicio rejici, d. l. fin. C. si contra jus. l. rescripta, 7. C. de precib. Imp. offeren. cum contra jus & in læsionem alterius non valeant, l. si quando, 35. C. de in off. testam. l. 3. C. de rescind. vend. Fachin. d. controv. 63.

120. Et hoc non solum de ordinaria Principis potestate, sed etiam de extraordinaria, & ut ajunt, de plenitudine potestatis absolutæ verum esse judico: Cum Princeps citra justam causam nemini suum auferre velit, nec possit, §. fin. just. de his, qui sunt sui vel alien. jur. §. fin. just. quib. mod. testam. infir. siquidem

juris naturæ, cui subest Princeps non minus, atq; privatus, præceptum est neminem esse lædendum, nec suum cuiq; auferendum, §. 3. *Inst. de just. & jur.* Nec amplius Princeps est, sed tyranus, qui naturæ leges & limites justitiae transgreditur, *cap. scelus, 21. causa, 2. quest. 1.*

121. Quinimò, ne tunc quidem rescripto Imperatoris privatorum transactio infirmari potest, si ab ea recedi publica sua deat utilitas; nisi vel à Principe, vel à civibus, contributione facta, justum transigentibus refundatur interesse, *l. 1. C. pro quib. caus. serv. pro præm. l. venditor, 13. §. 1. ff. commun. præd.* Licet enim salus totius Reipubl. anteferenda sit utilitati privatæ, tamen exinde non sequitur, quod propter bonum publicum privatus resua privari debeat, ubi præsertim absq; ejus incommodo aliter Reipub. consuli ac succurri queat: Cum diversa sint? utilitatem publicam privatæ utilitati præferri: Et ob publicam utilitatem damno privatum affici.

122. Tertiò ex parte actoris litem transactione remittens, hunc habet transactio effectum, ut reus actori ad id quod ei pro litis remissione vicissim promisit, civiliter obligetur, eoque nomine actione ex stipulatu, si modò stipulatio fuerit interposita, conveniri possit; sin hęc omissa sit, præscriptis verbis in factum actione, *l. cum mota, 6. l. si profundo, 33. C. de transact. Wesembec. in parat. hic num. 7. Borcholt, detransact. cap. ult. num. 8. & seq. Gilken. in d. l. cum mota, C. cod. Donell. in tract. de prescript. verb. cap. 20.*

CAP. V.  
ET VLT.

Quibus ex  
causis raf-  
actio per-  
fecta re-  
scindatur.

123. Etiam si transactio, semel perfecta & absoluta, sanctè & inviolabiliter servari debeat, nec consensu terminatas questio- nes temerè instaurare liceat, *l. interpositas, 13. C. de transact.* Sunt tamen certæ causæ legibus proditæ; ex quibus transactio perfecta rescindatur: Prima earum est utriusque partis voluntas, ob quam à transactione bonâ fide interposita recedi omnino fas est, *l. si diversa, 14. C. hoc tit. l. nihil tam naturale 35. de Reg. jur.* siquidem pacta novissima semper custodiri debent, & pactum prius tollitur per posterius, *l. pacta novissima, 12. C. de pact. Donell. & Hoteman. in d. l. 14. C. de transact.*

124. Se-

11.

124. Secunda causa, ex qua transactio rescinditur, est *pænitentia* sive *voluntas* alterutrius transigentium, Actoris vel Rei. Si enim reus initium fecerit transactioni, & actori, quo is à lite discederet, dederit aliquid, antequam actor à lite discedat, idq; cuius nomine à reo pecuniam accepit, adimpleat, integrum ac liberum erit reo pænitere, atq; id, quod transactionis causa dedit, repetere: Nisi forsitan actor paratus sit à lite discedere, & causam ob quam pecuniam accepit, adimplere. Id quod transactio cum cæteris contrahibus innominatis habet commune, *i. si pecuniam, 5. ff. de condit. caus. dat.*

2,5.

125. Quod si vero actor à lite discesserit, sic ut reus vicissim aliquid daret aut ficeret, tam diu reus in eo, quod dare promisit, præstando moram fecerit, licebit tunc actori priorem actionem, super qua transactum fuit, siquidem adhuc supereft, nec acceptilatione vel Aquiliana stipulatione extincta, denuò restaurare, aut vero præscriptis verbis actione ad id quod sua interest completam fuisse transactionem agere.

D

126. Cum autem prior actio per acceptilationem vel Aquilianam stipulationem sublata fuerit, sola præscriptis verbis actio supereft: De eo quidem ad quod prius egerat, actione priori extinta, nulla alia quam de dolo restat, *i. actione, 4. & i. sub prætextu. 19. C. hoc tit.* Nec enim actio semel legitimis modis sublata amplius resuscitari potest, *i. insulam. 6. l. solent. 15. ff. de præscript. verb.* Et hoc quidem tunc obtinet, cum transactio ab utraq; parte nondum est adimpleta.

7

127. Verum cum ab utraq; parte satisfactum est transactionis placito, sic ut actor à lite desisterit, & reus vicissim aliquid actori dederit aut fecerit unius voluntate recedere atq; amplius pænitere non licet; Sed siquidem actorem pæniteat, & is denuò agat, competit reo exceptio doli mali, quam actionem elidat, vel datorum repetitio, ejusq; in arbitrio erit, utro horum utatur, utroq; sanè uti non potest, *i. eleganter, 23. §. si quis, 3. ff. de condit. indebit. i. cum proponas, 17. C. de transact.*

E 3

128. Si transactioni pœnalis stipulatio subdita fuerit, tunc actore contra transactionem veniente, in arbitrio rei erit pœnam petere vel commodo transactionis frui, actoremq; beneficio exceptionis

ceptionis dolii compellere ad transactionem servandam: utrumq;  
autem simul reo non tribuetur, l. rescriptum. 10. §. 1. ff. de pact. l. ubi  
pactum, 40. C. de transact. nisi in transactione convenierit, ut rato  
manente pacto pena exigiri possit, l. qui fidem. 16. ff. eod. tit. Eorch de  
transact. c. fin. n. 22. & seq. Pacius Cent. i. quest. 90. Donell. & Hoteman.  
in d. l. 40. C. eod.

129. Postd in jurata transactione hoc amplius est, quod qui  
contra eam venit, non tantum notetur infamia, sed etiam privetur  
actione, & restituta pena, quæ probatur inserta, & rerum pro-  
prietary, & emolumento, quod ex illa pactione vel transactione  
fuerit consecutus, careat, l. si quis major, 41. C. de transact. Schneidvv.  
ad §. item si quis postulante, 11. n. 124. Inst. de act. Dn. Mejer. in Colleg.  
juridico Argentoratensi de transact. thes. 38.

130. Hoc tamen ita accipiendum est, quod non statim,  
quamprimum à transactione resiliit, atq; ipso jure, sed sententia  
demum judicis efficiatur infamis, siquidem prædictæ l. si quis major.  
41. constitutio verbis in futurum directis utitur, eumque demum  
velit notari infamia, qui contra juratam veniat transactionem: Ve-  
ritabile etiam non est, quod ob delictum hoc reus statim ipso jure  
infamia notetur, quoniam ob publica, quantumvis atrocissima de-  
licta reos, non ipso jure, sed sententia demum judicis infames esse  
leges jubeant, l. i. ff. de his qui not. infam.

131. Cum autem hoc ita nominatim de majore 25. annis  
constitutum sit, non immerito queritur an idem quoq; ad mino-  
rem 25. annis, contra juratam transactionem venientem extendi  
debeat; sic ut & eum infamia notari cæterisq; incommodis affici  
oporteat? Negativa sententia verior videtur, quandoquidem d. l.  
41. C. hoc tit. expressè scripta est de majoribus 25. annis, & ratione  
ejus qui transactionem violat admodum dura & odiosa; idcirco  
potius restringenda quam extendenda, c. Odia de Reg. jur. in 6. Do-  
nell. & Gilken. in d. l. si quis major, 41. C. de transact.

132. Tertia causa ex quâ transactione perfecta rescinditur, est  
dolus & metus, qui scilicet salutis periculum, vel corporis crucia-  
tum continet, l. interpositas, 13. C. de transact. Nec interest sive dolus  
ab initio intervenierit l. sub prætextu, 19. C. eod. sive in transactio-  
nem inciderit, eandemq; subsecutus fuerit. l. sive apud acta, 28. C.  
hoc tit.

boc rit. Et hoc extra omnem dubitationis aleam positum esse video  
tur in l. *actione*, 4. C. de *transact.* l. qui eum. 9. §. 2. ff. eod.

133. Illud verò admodum controversum est, utrum transac-  
tio, cui dolus initium dedit, ipso jure sit nulla, an verò per exce-  
ptionem doli mali demum infirmetur? Et verior videtur opinio  
existimantium, quod scilicet dolus causam & initium dans trans-  
actioni, non faciat eam ipso jure nullam, sed transactio jure stricto  
subsistat, ita, ut si reus dolo inductus transegerit, competit ei ad-  
versus actorem, ex placito transactionis agentem, doli exceptio &  
datorum repetitio: Sin verò actor dolo circumventus transegerit,  
cum siquidem transactio per pactum conventum fuerit facta, pri-  
ori actione agere eamq; adversus reum transactionis exceptionem  
objicientem doli mali replicatione defendere queat: Sin verò per  
Aquilianam stipulationem fuerit facta, doli mali actio actori com-  
petat, l. sub *prætextu*, 19. & l. sive apud alia, 29. C. de *transact.* Borcholt.  
hic c. fin. n. 6.

134. Cæterum frustrà de dolo conqueritur, qui prudens &  
haud ignorans transegit, cum sciret & intelligeret dolo se induci  
ac circumveniri ab adversario, cum volentibus dolus non infera-  
tur, l. cum *donationis*, 34. C. de *transact.* Multò minus est audiendus,  
qui ob dolum à se admisum transactionem rescindi postulat, l.  
*transactione finita*, 30. C. eod. Deceptis enim, non decipientibus jura  
opitulantur, l. 2. §. sed ita, 3. ff. ad *SCtum Vellejan.* l. 2. C. si minor. se ma-  
jor. dix. Neq; quicquam iniquius est, quam dolum suum cuiquam  
prodeesse, l. 1. ff. de *dol. mal.* Donell. in d. l. 30. C. de *transact.*

135. Et quidem si bonâ fide transactio fuerit finita, quan-  
tumvis altera transigentium pars enormiter se læsam conquerar-  
tur, non tamen transactio semel legitimè perfecta rescindi ac in-  
firmari potest, ut verior & communior habet opinio, ne ex lite li-  
tem faciamus, cum transactio ad hoc sit inventa, ut finis litibus  
imponatur, & aliâs jura in quacunq; controversia litium finem de-  
siderant, l. quidam, 21. ff. de *reb. credit.* Beneficium igitur L. 2. C. de  
rescind. vendit. in transactione locum non habere concludo, l.  
Lucius 78. §. fin. ff. ad *SCtum Trebell.* l. in summa, 65. §. 1. ff. de *condict.*  
indebit. Quomodo enim dubius litis eventus aestimari poterit,  
cum ea, quæ dubia sunt, aestimationem certam non recipiant? item  
is, qui

is, qui transigit, remittit incertum & dubium litis eventum. Læsi-  
onem igitur allegare non potest, l.i.C. de pact. Gail. 2. observat. 70.  
Borcholt. de transact. c. 4. n. 22. Bronchorst. Cent. 2. assert. 58. Bachoy.  
in not. ad Treut. vol. 1. disp. 7. thes. ult. lit. e.

136. Sic quoque nec sub instrumentorum postea reperto-  
rum prætextu, lites transactionibus finitæ, instaurari possunt, l.  
sub prætextu, 19. C. de transact. cum transactionis non minor sit au-  
thoritas, quam rei judicatæ, l. non minorem. 20. C. eod. Res autem  
judicata non rescinditur ob instrumenta postea reperta, l. sub specie,  
4. C. de re judicat. Et transactio omnia instrumenta cassat & an-  
nullat: Cum autem sint cassata instrumenta, quandocunq; fuerint  
reperta, non possunt invalidare transactionem, Balb. in c. 1. ext. de  
transact. Sichard. ad d. l. 19. C. eod. n. 1. & 2. In negotio tamen publico  
repertis postea novis instrumentis ex causa de integro adver-  
sus transactionem agere permittitur, l. Imperatores, 35.

ff. de re judicat. Donell. hic num. 2. Et hæc de  
amplissima & perplexa transactio-  
num materia dicta sufficiant.

SOLI DEO GLORIA.

F I N I S.

---

Errata. In thes. 2. lin. 11. lege controversiis, thes. 64. lin 2. lege  
ingerentia, thes. 69. lin. 4. pro opponitur lege opprimitur, thes. 76.  
lin. 3. lege transigendo, thes. 79. lin. 2. lege interdictam, thes. 85. lin. 9.  
expungatur alterum alimentarii, thes. 89. lin. 2. lege relictis usq; adeò  
thes. 104. lin. ult. lege alimentario, thes. 108. lin. 11. lege Senatus Con-  
sulto. Cetera candide Lector candide emendabis.




X 2615926

VB.17



## Farbkarte #13



B.I.G.

IDIICA

VIBUS,

RATIA,

Viro,

OCAMERO,  
LORENTIS-  
ACADEMIA  
o, Preceptore  
venera-

subjicit

S WurstSchmider  
ALINAS

DERTZ.

A5

1631, 7

16.

3,5.

10

10